

DELITOS MÁS GRAVES RESERVADOS A LA CONGREGACIÓN PARA LA DOCTRINA DE LA FE. TEXTO DEL M.PR. SACRAMENTORUM SANCTITATIS TUTELA Y COMENTARIO

I. TEXTOS

1. JUAN PABLO II, LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE SACRAMENTORUM SANCTITATIS TUTELA, QUIBUS NORMAS DE GRAVIORIBUS DELICTIS CONGREGATIONI PRO DOCTRINA FIDEI RESERVATIS PROMULGANTUR *

Sacramentorum sanctitatis tutela, SS.mae Eucharistiae maxime et Paenitentiae, necnon fidelium in sortem Domini vocatorum praeservatio in observantia sexti Decalogi praecepti, postulant ut ad salutem animarum procurandam, «quae in Ecclesia suprema semper lex esse debet» (*Codex Iuris Canonici*, can. 1752), ipsa Ecclesia sua pastorali sollicitudine interveniat ad praecavenda violationis pericula.

Iam inde a Praedecessoribus Nostris per oportunas Apostolicas Constitutiones sanctitati sacramentorum, praesertim Paenitentiae, provisum est, sicut Benedicti Papae XIV Constitutione *Sacramentum Poenitentiae*, die I mensis Iunii anno 1741, edita¹; itemque canones Codicis Iuris Canonici anno 1917 promulgati, cum eorum fontibus, quibus sanctiones canonicae contra huius speciei delicta statutae fuerant, eundem scopum persequerantur².

* Texto original en: AAS 93, 2001, 737-39. Traducción española en: *Ecclesia*, 16 de febrero de 2002, 242.

¹ Benedictus PP. XIV, Constitutio *Sacramentum Poenitentiae*, I Iunii 1741, in *Codex Iuris Canonici*, Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV autoritate promulgatus, *Documenta*, Documentum V, in *ASS* 9 (1917) Pars II, 505-508.

² Cf. *Codex Iuris Canonici anno 1917 promulgatus*, cann. 817, 2316, 2320, 2322, 2368 parrafo 1, 2369 parrafo I.